

Franckesche Stiftungen zu Halle

Auxiliante Divina Gratia Dissertationem Solennem Philosophicam De Finibus Eorumque Observationis Usu In Philosophia Rationali

Salthenius, Daniel

Regiomonti, [1730?]

VD18 15091805

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-201910



131 B. 12

131 B. 12

1. le
lio
2/

AUXILIANTE DIVINA GRATIA
DISSERTATIONEM SOLENNEM
PHILOSOPHICAM
DE
FINIBUS EORUMQUE
OBSERVATIONIS USU IN PHI-
LOSOPHIA RATIONALI.

EX AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
DECRETO,

PRO LOCO

INTER PROFESSORES PHILOSOPHIÆ

EXTRAORDINARIO

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

DANIEL LAUR. SALTHENIUS,

LOG. ET METAPH. PROF. EXTRAORD.

RESPONDENTE

JOANNE CHRISTIANO LYSIO,

J. U. CULTORE

ANNO MDCCXXX. DIE XXIII. FEBRUAR.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IN AUDITORIO MAXIMO.

REGIOMONTI, Litteris REUSNERIANIS.

AUGUSTO PATRIÆ PATRI;
PRINCIPI INCOMPARABILI,
SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE DOMINO,
DN. FRIDERICO
WILHELMO,
REGI BORUSSIÆ,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S.R.I. ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
SUPREMO ARAUSIONENSI, NEOCOMENSI ET VALAN-
GINENSI *PRINCIPI,*
GELDRIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MON-
TIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM,
VANDALORUM, ET MEGALOPOLIS, ITEM IN SILESIA CROSNÆ
D U C I,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,
VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI ET MEURSAE,
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ, ET LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRAE, ET VLISSINGÆ,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,
LAUENBURGI, BUTOVIAE, ARLAIÆ, AC BREDÆ, &c. &c. &c.
REGI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

*Dissertationem hanc inauguralem cum
Suspiriis pro Augusta prosperitate pe-
renni conceptis ardentissimis consecrat
S. R. Mti. subditus.*

humillimus
Daniel Laur, Salthenius.

§. I.



Philosophiae rationalis nomine eam intelligimus disciplinam, quae vitiis facultatis intelligendi ineditur, eamque ad veritatem inveniendam ac proponendam, adeoque ad gloriam DEI hominumque felicitatem dirigit. Quanta vero huius disciplinae sit praestantia ac ad solidam eruditionem comparandam necessitas, non tantum recentiores abunde agnoscunt Philosophi, verum ab antiquis quoque probe fuit observatum. Et Aristoteles Lib. I. Topic. Cap. 2. haud exiguum eius in disciplinis Philosophicis agnoscit utilitatem: unde etiam ὄργανον ἢ χεὶρ φιλοσοφίας, immo ὄργανον ὀργάνων ipsi audit, confer. Johan. Neldelius de usu organi Aristotelici P. I. Cap. 3. Plato vero Lib. 7. de Republ. doctrinarum omnium apicem ac finem esse asserere non dubitat. Non minores ei laudes tribuisse videntur Stoici: quorum hac in re vestigia inprimis pressit (observante Iohanne Vossio de Natura ac constitutione Logices Cap. VIII. §. 22. 23.) ipse eloquentiae Romanae Parens Cicero, cuius maxima in eandem ex hac gente fuisse merita, quidam historiae Logicae docent Scriptores. Ille vero in Lib. de claris Oratoribus, *artium maximam atque omnium lucem appellat: utpote quae docet rem universam distribuere in partes; latentem explicare definiendo; obscuram explanare interpretando; ambiguum primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa diiudicantur, & quae quibus posita sint, quae non sint consequentia*, prout eandem eleganter delineavit in Bruto. Ipsos quoque Patres philosophantes vix aliter sensitse, vel suo testatur Hipponensium Praeful celeberrimus exemplo, qui in Lib. 3. contra Academicos *disciplinarum disciplinam* nuncupat, lepide castigatus ea propter ab Ambrosio; cuius iussu, si Lancillotto in vita Augustini Lib. 2. Cap. 1. fol. 115. credimus, in Litanis additum est: *a Logica Augustini libera nos Domine*. Quae cum ita sint, haud mirum est, Scholasticorum quoque non paucos Dialecticam suam artem artium & scientiam scientiarum appellasse communi quasi encomio.

§. II.

Reprehendendam esse ex hac ratione antiquitatem haud temere
A asseret,

asseret, qui argumentum, usum immo necessitatem Logicae penitus consideraverit: haec enim in censum vocanda esse putamus, si de dignitate disciplinarum merito sentire velimus; & quo ista excellentiora sunt, eo maius quoque pretium doctrinis ponendum erit. Iam vero veritatis tanta est excellentia, ut vel solus illius sensus ad bonos rectosque mores efformandos, adeoque ad felicitatem hominum promovendam haud parum conferat. Atqui haec ipsa Logicae obiectum est, quae non tantum naturam, *κείνην* ac diversas veritatis species explanat; verum intellectum quoque humanum ad eandem in omnibus disciplinis legitime inveniendam, diiudicandam, demonstrandam, ac cum aliis communicandam praeparat & informat: ita quidem, ut litterarum studia, siue rebus divinis, siue iurisprudentiae, siue arti medendi dicata fuerint, vix ope Logices carere possint; nisi quis missa eruditione solida, vulgarem tantum ac superficiali sibi comparare instituat. Conf. D. Ioh. Georg. Walchius in Prolegom. Historiae Logicae, quae Parergis ipsius Academicis inserta est. Hinc celeberrimus Andreas Ridigerus, cuius in hanc disciplinam maiora, quam in Metaphysicam, & singularia sunt merita, in Philosophiae Pragmaticae Cap. Proemiali §. 12. (h) inter tres illas partes Philosophiae, quas pragmatice essentielles esse, quibusve solide intellectis nemo eruditorum carere facile potest, *Logicam* vel primo loco constituit, additis *Iure naturae & Ethica*: nam *Eruditus* inquit, *sine solida cognitione Logices, est miles sine armis; sine cognitione & praxi Iuris naturae est latinus nequam; sine cognitione & praxi Ethicae, cum alia omni quantumvis copiosa eruditione, est latinus stultus.* Quarum quidem assertionum rationes in superioribus reddidit. Pergit autem ulterius explicare mentem suam in ipsa tractatione Sect. I. P. I. Art. I. C. I. §. 21. 23. ex quibus mirifice placent, quae §. ultima occurrunt: *Itaque Logica est eruditio universalis & a laevis ad omnes scientias: quique eruditionem absque solida cognitione Logicae subsistere posse existimat, idem facit cum eo, qui corpus absque anima vere vivere posse sibi persuadeat. Dialecticam Scholasticorum nugatoriam, ut Morhoffius loquitur, cuius beneficio praestigia miscere poterant eius Doctores, Polyhist. T. II. Lit. V. n. I. p. 476. haud intelligere virum celeberrimum, non ignorant, qui vel fugitivo, ut aiunt, oculo Systemata eius Philosophica perlustrarunt. Idem*

vero

3
vero ante eum observavit, ut alios taceam, Philosophus non doctrinae praestantia minus, quam generis nobilitate illustris Ehrenfridus Walth, a Tschirnhausen, cui in Medicina Mentis P. II. p. 23. haec nostra dicitur *via regia ad omnes scientias & artes ducens, & ad omnia, quae mens humana scire potest, sese extendens: a qua omnes aliae scientiae ortum duxere, & quae efficit, ut in omnibus excellamus, seu aequae apti ad omnia evadamus.* Scilicet dum nostram cognoscendi facultatem emendat Logica, eandemque ad veritates ex genuinis principiis eruendas vel diiudicandas ac iusto quoque ordine tractandas dirigit in omnibus scientiis ac partibus eruditionis: eas ipsas singulas dirigit, iisque rectitudinem in ratiocinando, nec non veritates necessarias, puta formaliter consideratas, harumque nexum largitur: adeoque omni propositioni Philosophiae & eruditionis qua talis est essentialis, immo vitae eiusdem & anima. Quae cum ita sint, nemo sane de praestantia ac necessitate doctrinae huius dubitaverit, licet ipsi inter Philosophicas praecipuum forte non tribuerit locum,

§. III.

Necessitas vero disciplinae huius praestantissimae arguit eam addiscendam esse tanta cum industria, quantam requirit illius indoles, siquidem insignem istam, quae inde debet proficisci, utilitatem cultoribus praebitura est. Cumque ars longa sit, vita autem brevis: per se patet, ut in omnibus eruditionis partibus, sic in Logica quoque vitandas esse, quantum humana fieri potest ope, ambages & recta ad scopum collineandum; media quoque non quidem omnia, quae usui inservire possunt, sed necessaria modo adhibenda esse. Haec autem fieri vix posse, nisi genuinos huius doctrinae fines. ^{nam} ultimum, quam intermedios, diligenter consideratos ^{monet} insignimus altius, sana nos ratio experientia suffulta luculenter edocet. Certe qui disciplinas non consideratis finibus pervagantur, illos vagabundis quoque similes exspatiari, ac hinc ad dextram illinc ad sinistram non sine insigni dispendio temporis declinare, domum autem reverti variarum rerum, curiosarum quidem, sed vel inutilium, vel ad finem haud multum facientium, notitia deceptos animadvertimus: quemadmodum e contrario qui finibus genuinis relictis spurios eligunt, ad eosque per fas & nefas obtinendos omni studio contendunt, naturam ac indolem disciplinae qua se ipsos, sed maximo cum detrimen-

4
to suo pervertunt, spurii quoque eiusdem cultores haud immerito appellandi. Verum ad istiusmodi scopulos non impingunt, qui genuinos indagant fines, eosque ad antiquum illud axioma, primos in intentione esse sinunt, & quidem eousque, donec etiam in executione fiant ultimi: hi enim dum oculos mentis ad haec sibi constitutam metam habent studiose intentos; non solum hoc ipso ad novum quotidie ardorem animum suum excitant, verum eandem quoque avidum discendi intra iustos coercent limites, & optima ac ad finem consequendum egregie facientia adhibent adminicula; porro nexum finium intermediorum cum ultimo perspiciunt, quod mirum, quantum ad solidam disciplinae notitiam confert; ac denique non diutius in hac vel illa re indaganda versantur, quam ratio postulat finium, prudentibus haud dissimiles peregrinantibus, qui in quibusdam diverforiis prandendi causa commorantur, in aliis pernoctant, in nonnullis locis plusculos dies consistunt, alia vero obiter tantum ac praetergredientes adspiciunt, donec finem, quem intendunt, itineris obtineant, ut simili isto eleganter illustranti utar, quod ex *Nic. Damasceno & Suida* depromsit *Morhoffius Polybist. Lib. I. c. I. p. 4.* Tantum scilicet genuina finium consideratio in omnem solidam eruditionem habet influxum. Cuius quidem rei ut eo meliorem faciamus fidem, haud contemnenda illa, quae cultor Logicae ex consideratione finium in hac disciplina haurire potest emolumenta, non omnia, sed aliqua tantum & pro ratione instituti paucis, in praesenti sistemus dissertariuncula.

§. IV.

De *finibus* disciplinae praestantissimae differentes, cum varias huius vocis significationes offendimus, primum quidem, antequam ulterius progrediamur, eandem ab aequivocatione liberandam esse cenlemus. Nam & speciatim *fines* agrorum funiculis directos denotat, unde Scaliger *finis* a *σχοιν* *junis* deducit, in primis cum antiquitus *Sfoenis* & inde abiecto *f. foenire* dictum sit: & in genere quoque exitus, termini vel limites ac ultima rerum Scriptoribus castae latinitatis hoc nomine veniunt; unde etiam pro ipsa morte tanquam vitae termino haud raro usurpatur, & verbum *finiri* *Valerio Maximo* idem est ac *mori*. Ut autem acutissimus *Aristoteles Lib. V. Metaph. c. XVI.* apud graecos per translationem haec dici observavit:

Διό

5

Διὸ καὶ ἡ τελευτὴ κατὰ μεταφορὰς λέγεται τέλος, ὅτε ἀμφὶ ἔσχατα:
 ita quoque apud Latinos fieri haud dubitanter asserimus; *finem* enim
 ac τέλος in plerisque aequipollere testis est Cicero, qui Lib. 3. de fini-
 bus, *Sentis enim credo, inquit, me iam diu, quod τέλος graecus di-*
cit, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum: licebit
etiam finem pro extremo & ultimo dicere. Licet non diffitendum
 sit graecorum τέλος latius patere, utpote quod varias insuper ad-
 mittit significationes, quae ex auctoribus vel Lexico graphis graecis
 peti possunt, conf. e. g. Scapula in voce τέλος. Aliam finis signi-
 ficationem notavit Barthius in adversar. L. XXI. c. 3. p. 1020. alle-
 gans illud Horatii l. sat. I. 106.

Est modus in rebus sunt certi denique fines,
 Quos ultra cicraque nequit consistere rectum.

Ubi in primis legitimum rerum usum inuere credit Poëtam. Tot igitur
 modis cum finem usurpari viderunt eruditorum quidam, placuit eos-
 dem terminis includi technicis, unde *fines terminationis, consumma-*
tionis, consumptionis, ceteri exstiterunt, quibus non immorabimur.
 Nobis de eiusmodi *sine* agendum erit, quem *motionis* dicunt, quia
 hominis desiderium ad semet consequendum movet, non efficienter,
 sed intentionaliter; vel ut distinctione Philosophi ex Lib. I. de gene-
 rat. & corrupt. Text. 55. utar: non ὥς ὁ θεὸς ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, hoc
 enim est causae efficientis; sed ὥς τὸ ἐνεκα, confer Metaph. V.
 C. 2. unde etiam *finis intentionis & causa finalis* audit.

§. V.

Non uno certe modo hanc exposuere Philosophi veteres: ita
 tamen, ut, quid esset finis, vix ante Aristotelem, siquidem ipsi fides
 habenda est, innotuerit. Etenim causam finalem partim cum effi-
 ciente vel formali, partim cum ipsa natura vel principio & auctore
 naturae & motus, quisquis ille demum esset, eiusque intentione
 confundebant: quam quoque deinceps sententiam adoptarunt Stoici;
 quos secuti sunt Cicero, dum *nihil aliud esse finem* asserit, quam *pro-*
positum agentis; & Seneca, qui Epist. 65. eundem *propositum totius*
operis, faciendi & facientis & artificis vocat; reprehensi ea propter
 a Fonseca in Comment. ad Metaph. Arist. Lib. I. c. VII. Qu. I. p.
 m. 327. A, quod hac ratione finis e numero causarum excludatur,
 nisi forte ab utroque *propositum* sumatur *pro re, quam sibi agens pro-*

A 3

ponit.

ponit. Plato quidem in Phaedone causam finalem adeo magni facit, ut eam solam appellet causam, reliquas autem a Philosophis quasi in tenebris attrectatas, adeoque alieno nuncupatas esse nomine contendat. At si Aristotelem placita illius examinantem Lib. I. metaph. cap. IV-VII. consulimus, vix sibi constare Platonem deprehendimus: in Timaeo enim ea sola censet digna nomine causae, quae effectum tempore praecedunt vel praecedere possunt; atque idcirco omissa finali, tria solum ibidem causarum genera enumerat efficientem, exemplarem, & materialem. Et Arist. I. c. c. VI. perspicuum esse, ait: ὅτι δύοιν αἰτίαν ἐστὶ μόνον κενημένην, τῇ τε τὸ τί ἐστὶ, καὶ τῇ κατὰ τὴν ὕλην, i. e. materiali & formali, haec enim causarum genera in primis Plato invexit, ita quidem, ut materialem esse statuerit τὸ μέγεθος, καὶ τὸ μικρόν, formales autem & quidditativas rerum sensibilibus causas ιδέας, & idearum iterum τὸ ἐν vel τὸ ὄν; quibus duobus στοιχείοις τὴν τῶ ἐν καὶ τῶ κακῶς αἰτίαν ἀπέδωκεν ἐκατέρωθεν ἐκατέρωθεν: nimirum principium materiale Plato mali, formale autem boni esse causam statuit, existimans se hoc pacto etiam tradere causam finalem, quam tamen cum formali confudit. Causa enim efficiens confert esse gratia sui; forma autem non dat esse sui gratia, sed gratia totius compositi: at esse id, cuius gratia aliquid efficitur, & quomodo quomodoque causatur, est ratio finis. Et licet Anaxagoras & Empedocles propius ad causae finalis rationem accesserint teste Philosopho I. c. text. 9. fin tamen cum iste suam illam νῦν, hic vero Φιλίαν seu bonum quoddam loco causae ponerent; uterque in eiusdem applicatione ita versati sunt, ut nonnisi per accidens finem tetigisse genuinum videantur. Haud ergo iniusta censenda illa Aristotelis, quam opinionibus Philosophorum, qui ante se fuerunt, examinatis subiungit I. c. querela: τὸ δ' ἔνεκα αἱ πράξεις καὶ αἱ μεταβολαὶ καὶ αἱ κινήσεις τρόπον μὲν τινα λέγουσιν, ὅδ' ὕπερ πέφυκον, &c. Id vero cuius gratia actiones, mutationes, & motus existunt, quodammodo quidem causam esse dicunt, hoc autem pacto non dicunt (nimirum uti ipse), nec quemadmodum natura postulat. Quare cum primus sit, qui de fine tanquam causa distincte docuit Aristoteles, illius quoque in primis audienda est definitio. Occurrit illa in scriptis ipsius tam Physicis quam Metaphysicis passim, in primis Lib. II. Physic. c. 3. & Lib. V. Metaph. c. 2. τέλει ἐστὶ τὸ ἔνεκα; vel uti substituit

cuit

7

tuit ex ipso Aristotele Dan. Stahlus in notis ad Metaph. Tab. X. ἀντι-
 ον & ἐνεναι. *Finis igitur est causa, cuius gratia aliquid est vel fit: ubi*
τὸ cuius gratia late sumi, ita ut equipolleat particulae propter, docet
Hundeshagen Metaph. Tab. X. p. 46. Aliis placuit breviorē
istam definitionem magistri exponere hoc modo: Finis est causa
subtractione boni cogniti metaphorice movens causam efficientem, ad
sui appetitionem, consecutionem, vel effectiōem. Franc. Alb. Æpini
 Metaph. ad Theologiam applicata c. X. p. 197. Sed & hunc finem
 diversimode distinguere solent, qui universales rerum conceptus ex
 instituto declarant, quarum quidem distinctionum nos duas tantum
 notabimus. Priorem ipse iterum optime suppeditabit Aristoteles
 Lib. II. de anim. text. 35. iterumque text. 37. ubi: τὸ δ' ἐνεναι,
 inquit, δισπών. τὸ μὲν δ', τὸ δὲ ὦ. Nos illum inprimis finem scilicet &
 vel cuius hic nostrum facimus; quem definire solent: ut sit *bonum*
cuius efficiendi, acquirendi aut conservandi gratia aliquid sit. Altera
finem ultimum cum intermediis quibusvis haud confundendum esse,
non sine insigni utilitate innuit: cum ille sit, qui unice propter se;
hic autem qui non unice propter se, sed propter aliud quid per ipsum
consequendum expetitur; adeoque diverso respectu finis & medium
in diversis causarum generibus dici potest, quippe quando iam ob-
tentus est, fit medium obtinendi finem ultimum.

§. VI.

Quemadmodum autem in omni causarum genere ad *rationem*
caussandi, causalitatem & causatum attendendum esse monent Me-
 taphysici: ita & nobis, qui causam finalem consideramus, idem agen-
 dum erit, sed paucissimis, ne rem vel centies actam, ac ex omnibus
 fere compendiis Metaphysicis repetendam agamus. Per *rationem*
caussandi intelligimus id, per quod aliquid potens est, ut actu alterius
 causa fieri possit; & istud hic est *bonum*, iure quidem verum, ast ex
 vitio mentis in eo, qui intendit, haud raro etiam apparens; per hoc
 enim aptum est aliquid, ut possit esse causa finalis, quod est vel vide-
 tur bonum, consentiente Aristotele, ut alibi passim, ita inprimis Lib.
 II. Phys. text. 31. & Lib. V. Metaph. c. 2. ubi: Διαφέρει δὲ ἡδὲν, in-
 quit, αὐτὸ ἀγαθὸν λεγόμενον ἢ φαινόμενον. *Causalitas est, per quod*
aliquid actu secundo vel formaliter alterius est causa; quam licet caus-
fac finali non omnes eodem adscribant modo, plerorumque tamen
sententia

sententia huc redit: aliquid esse finem formaliter per hoc, quod ad agendum movet. Causae alias efficientis est, tum movere simpliciter, tum ad agendum movere; & illa quidem movet per potentiam activam, & ὡς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, uti supra observatum: Finis autem non ita, sed tantum quatenus bonum quid est, desiderium agentis mediante sui cognitione & repraesentatione improprie ac metaphorice movet & eo allicit, ut & bonum istud, & aliud propter ipsum appetat. Ad *causata* vero finis quod attinet, illa secundum Aristotelem l. c. text. 29. & Lib. V. Metaph. cap. 11. partim res partim actiones sunt, quae fiunt propter finem. Cumque actiones hominum tam internae quam externae sint duplices, ita ut quaedam directe & immediate, quaedam vero indirecte & mediate in finem tendant; utrasque esse causata finis dicimus. Media ergo obtinendi finis etiam sunt causata. Primarium autem causatum est ipse finis, qui intentionaliter agendo causat se ipsum secundum esse reale, seu ut realiter existat: facit enim, ut ab agente producat, observante Joh. Christoph. Hundshagen in Metaph. Tab. XI. Sed haec ex Metaphysicis pro ratione instituti delibasse sufficiat. Quod si cuidam desiderium movent plura sciendi, istisque diutius immorandi tricis; sitim ille suam ex Pet. Musaei Institut. Metaph. inde a. p. 413. usque ad 463. satis restringere potest: vel si quaedam altioris indaginis maiorisque cum molis tum subtilitatis mavult, ipsos Pet. Fonsecae Commentarios consulat, inprimis ad Lib. V. Metaph. Aristotelicae. Nos in liberiolem philosophandi campum properantes paucas tantum recensebimus conclusiones generales, quae ex definitione finis tanquam causae prona fluunt consequentia. Si enim finis est id cuius gratia aliquid est vel fit, utpote qui sub ratione boni cogniti metaphorice movet causam efficientem ad sui consecutionem vel effectum (§. IV.): E. omne agens perfectum agit propter finem. E. nihil fit sine causa. E. Finis haud immerito causarum dicta est causa & prima. E. finis est primum in intentione, ultimum vero in executione. E. acquisito fine cessat actio. E. qui vult finem (voluntate efficaci), vult etiam illa, sine quibus finis obtineri nequit, i. e. media: non quidem semper distincte hoc medium; sed consule vel hoc, vel illud. E. propter quod expectitur aliquid, id magis expectitur. E. finis dat mediis bonitatem, amabili-

bili-

bilitatem, mensuram & ordinem: i. e. ex constitutione finis cognoscitur, quae & qualia media sufficiant. E. propter quod unumquodque est tale, id eo magis est tale. E. finis est melior mediis: Si non revera, saltem apparenter; Si non in se & quoad entitatem suam, saltem quoad nos & quoad usum nostrum. Prob. quia media fini subordinata sunt, ad eundem ultimato tendunt, & propter ipsum consequendum etiam adhibentur. E. Omnis finis bonum est: i. e. quae talis, habet rationem boni vel veri vel apparentis. Prob. voluntas enim non movetur a malo, sed istud potius aversatur. Hic autem distinguendum est inter rō formale & materiale finis, i. e. inter rem quae finis est, & inter rationem sub qua finis est, sive rationem causandi: illa mala esse potest; haec aliquid boni sive veri sive apparentis semper erit, uti ex superioribus constat. E. Necessarium requisitum finis est boni cognitio: ignoti enim nulla cupido. An vero boni cognitio plus inferat quam conditio sine qua non? vid. Pet. Musaeus l. c. p. 421. Negat Suarez: affirmat autem Mendoza, illam se habere tanquam causam impulsivam internam.

§. VII.

Frustraneus certe, ne quid durius dicam, labor esset, ad fines Logicae contemplandos vel nos ipsos descendere, vel alios insignis utilitatis spe allectos invitare, nisi & fieri id posse & licitum esse immo debere persuasum haberemus. Fuerunt enim, qui fines operum divinorum eliminando, eo maioribus investigationem finium universam dubiis & difficultatibus exposuerunt, quo arctiori ac indivulso isti sibi invicem subordinati cohaerent nexu. Et horum quidem vel primo loco nominandus est Cartesius, utpote cui id inprimis vitio verti solet, quod Meditat. VI. scripserit: *Totum illud caussarum genus, quod a fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo: non enim absque temeritate me puto posse investigare fines DEI.* Secuti sunt Magistrum, quotquot fere ipsius placita reliqua acceptarunt: eorumque non pauci omnem sublatam iri difficultatem credebant, inventa nova quadam inter fines & usus rerum distinctione; asserentes, hos quidem posse investigari, istos vero non item. Eandem etiam Petrus Chauvinus in Lexico Philosophico defendit sententiam: ast ulterius adhuc progressi sunt Thomas Burnetius in Theoria Telluris Sacra, Dethlevus Cluverus in Geologia & inprimis Wilhelmus Whistonus

nus in nova Telluris Theoria, quorum concludendi ratio haud ob-
 scure eo tendere videtur, ut dicant: quidquid non ab omnibus co-
 gnoscitur hominibus, & pro fine DEi observatur; illud non esse posse
 finem DEi, adeoque non in hominum solum usum esse creatum. Ut
 taceam Bened. Spinozam, utpote qui pro ratione systematis pestilen-
 tissimi nullos admittere potuit fines divinos: quod quidem ex Philo-
 sophia Cartesiana illum didicisse, dudum explosa a viris doctis calum-
 nia est. Quae cum ita sint, non idem de omnibus ferendum erit ju-
 dicium. Horum enim hypothesis, tanquam imbecillo immo impio
 innixa fundamento, veritati vero e diametro contraria haud immeri-
 to reprehenditur. Nec Cartesianorum inanem hic litem moventium
 probari potest distinctio: cum nihil sit boni in mundo, quod optimus
 creator non destinato consilio optimo eidem dederit; nullus quoque
 in natura rerum bonus usus, quem ille ut sapientissimus non praeviderit,
 quemve ut optimus non intenderit. Si enim omnis forma, vis &
 abilitas ab optimo & sapientissimo creatore rebus concessa est: quis
 persuasum habuerit usus rerum fortuito, sine consilio, intentione &
 respectu futuros? Illi vero, quos DEus intendit usus, annon sunt
 fines rerum? Quod autem ad ipsum attinet Cartesium, illum non mi-
 nus hac in re, quam dum sobriam praecipit dubitationem, excusan-
 dum esse putamus: eosdem enim cum Epicharmo ac Cicerone, Ner-
 vos atque artus sapientiae agnoverat, non temere credere; cum saepe
dubitatio prudens radix cognoscendi, quae ignorantur, solet fieri, uti
egregie observavit Cyrillus Alexandrinus ad Joh. IV. 9. Georgio Tra-
pezuntio Interprete, Opp. To. I. Lib. II. c. 81. edit. Basil. Nec ali-
 ter docuerat ipsum Aristoteles, utpote qui Lib. III Metaph. Sect. I.
 mox ab initio: *Ἔστι δὲ τοῦ εὐπορεῖσθαι βελομένοις πράγμα inquit, τὸ δια-*
πορεῖσθαι καλῶς. ἡ γὰρ ὑπερὸν εὐπορία λύσις τῶν πρότερον ἀπορριμ-
νῶν ἐστίν. λύειν δὲ ἐν ἑστὶν ἀγνοῶντα τὸν δαίμον' ἀλλ' ἡ τῆς διανοίας ἀπο-
ρία δηλοῖ τὸ περὶ τὰ πράγματα &c. *κ. τ. λ.* Est autem opera pre-
 tium iis, qui veritatis compotes esse volunt, bene dubitare: Certa enim
 cognitio, quae sequitur, solutio est eorum, quae ante dubitabantur;
 Solvere autem vinculum nemo potest, qui nodum ignoret; Sed mentis
 dubitatio hoc ipsum de re declarat, &c. Huius autem regulae appli-
 catio eo magis tunc temporis erat instauratori libertatis Philosophicae
 necessaria, quo saepius adversus eundem, ex suppositis tam finibus
 quam

quam formis, tanquam ex genuinis principiis argumentari de natura & modis rerum solebant adversarii. Neque tamen unquam Cartesius simpliciter negavit fines: sublimiorem enim ac dignam Philosopho sapientiae divinae habuit ideam, quam ut fines ipsius in dubium vocaret. Verum dum scripta ipsius paullo accuratius perlustro, *tres* ille mihi *abusus* tollere ab investigatoribus finium velle videtur. Primum quidem, *ne tantum sibi arrogant, ut consiliorum DEI participes se esse putent*, Princip. Phil. P. I. n. 28. *quod utique fiet, si fines, quos DEus sibi proposuit in creando universo, ingenii sui vi comprehendere posse, existimaverint*, l. c. P. III. n. 2. Quibus tamen verbis tantum abest, ut sobriam finium investigationem proscripserit, ut eandem potius in seqq. licet alio nomine commendet: *Debere enim nos, ait, cum DEum, ut causam efficientem rerum omnium consideramus, contemplari; quidnam ex iis eius attributis, quorum nos nonnullam habere notitiam voluit, circa illos eius effectus, qui sensibus apparent nostris, lumen naturale, quod nobis indidit, concludendum esse ostendat.* Quid autem hoc, quaeso, est aliud, quam naturae eiusque effectuum, adeoque etiam finium, illorum scilicet, quos ex attributis divinis eorumque effectibus concludere potest lumen naturale, instituere investigationem, non omnem, sed qualem istud a DEO nobis inditum lumen concludendam esse ostendit. Quod qui fecerit, nae ille haud confinget usus, quos natura non prodit, neque naturam ad ingenium accommodabit. Deinde vero *ut etiam caveant, ne nimis superbe de se ipsis sentiant*, hoc modo: *ut vel limites, sibi nulla cognitos ratione, nec divina revelatione, mundo ac sapientiae divinae asfingant; vel res omnes propter se solos a DEO creatas esse fingant.* Qui quidem abusus finium quo pronius ex communibus oriri solet praecudiciis, eo maior etiam huius admonitionis est utilitas. Tandem & horum castigat temeritatem, qui vel eapropter, quod quorundam operum divinorum rationes ac fines non perspiciunt, ipsam horum operum a summo numine dependentiam negare audent; id quod inprimis in demonstratione existentiae DEI Medit. IV. agit, ubi quidem verba, quae supra ad initium huius §. allegavimus, dum extra contextum sumuntur, paullo duriora esse non nego: si vero antecedentia & consequentia una cum scopo auctoris sine praecudiciis perpendantur, non unica sese offert ratio eundem

melius interpretandi. Ne autem fallere Lectores nostros videamur, quorum in manibus Cartesii Opera non sunt, totum dabimus licet paullo longiorem locum: *Attendenti ad DEI naturam*, inquit, *non videtur fieri posse, ut ille aliquam in me posuerit facultatem, quae non sit in suo genere perfecta, sive quae aliqua sibi debita perfectione sit privata*; (loquitur in antec. de erroribus ac imperfectionibus potentiae iudicandi). Nam si quo peritior est artifex, eo perfectiora opera ab illo proficiantur, quid potest à summo illo rerum omnium conditore factum esse, quod non sit omnibus numeris absolutum? Nec etiam dubium est, quin velit semper id, quod est optimum: anne ergo melius est me falli, quam non falli? His vero dubiis iam occurrurus ita pergit: Dum haec perpendo attentius, occurrit primo, non mihi esse mirandum, si quaedam a DEO fiant, quorum rationes non intelligam; Nec de eius existentia ideo esse dubitandum, quod forte quaedam alia esse experiar, quae quare vel quomodo ab illo facta sint, non comprehendendo: cum enim iam sciam naturam meam esse valde infirmam & limitatam, DEI autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam; ex hoc satius etiam scio, innumerabilia illum posse, quorum causas ignorem; atque ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod a fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo, non enim absque temeritate me puto posse investigare fines DEI. Occurrit etiam non unam aliquam creaturam separatim, sed omnem rerum universitatem esse spectandam, quoties an opera DEI perfecta sint inquirimus: quod enim forte non immerito, si solum esset, valde imperfectum videretur, ut habens in mundo rationem partii, est perfectissimum. Et quid multis? ita suam hac de re Cartesius Princip. Phil. P. III. n. III. explicavit sententiam, ut ab omnibus, qui peculiari in virum ipsum eiusque Philosophiam haud flagrant odio, iustam mereatur excusationem: *Quamvis enim*, inquit, *in Ethicis pium sit dicere: omnia a DEO propter nos facta esse, ut nempe tanto magis ad agendas ei gratias impellamur, eiusque amore incendamur; ac quamvis etiam suo sensu verum sit, quatenus scilicet rebus omnibus uti possimus, aliquo modo, saltem ad ingenium nostrum in iis considerandis exercendum, DEUM que ob admiranda eius opera suspiciendum: nequaquam tamen est verisimile, sic omnia propter nos facta esse. ut nullus alius sit eorum usus; essetque plane ridiculum & ineptum id in*
physica

physica consideratione supponere, quia non dubitamus, quin multa existant, vel olim existerint, iamque esse desierint. quae nunquam ab ullo homine visa sunt, aut intellecta, nunquamque ullum usum ulli praebuerunt. Et multo quidem plura hisque forte solidiora ad defensionem Cartesii proferri poterant, si nostrum id requireret institutum. Conferri autem merentur, qui vindicias huius Philosophi ex professo in hac materia instituerunt, viri eruditissimi, Jo. Bapt. du Hamel in Consensu vet. & novae Philosophiae c. l. n. 6. Joh. Christoph. Sturm. in Physica Electiva, Hypothes. II. p. 214. seqq. & Pet. Poiretus in Cogitat. Rational. Lib. III. c. XV. n. VIII. quorum iam laboribus uti mihi non licuit.

§. VIII.

Satis autem ex iis, quae dicta sunt, constare arbitror, quod sicut sobria finium DEI investigatio non est illicita, immo, dummodo eosdem perspicere sive ex ratione sive ex revelatione divina datum est, valde utilis ac necessaria, nisi bonis a benignissimo Creatore nobis concessis abuti viamque ad perfectiones eius cum cognoscendas tum venerandas perveniendi amplissimam nobismet ipsis praeccludere velimus: ita ab altera quoque parte cavendum esse, ne in aliud incidamus non minus periculosum extremum, & vel usus fingamus, quos natura non prodit, naturam adeo ad ingenium accommodantes; vel divinam sapientiam ita explorare conemur, ut quasi videamur eius fundum detegere velle, omnesque fines ac causas, cur DEus res has vel illas condiderit, inquirere. Ex quacunque enim eiusmodi imaginaria notitia demonstrationes nostras de rerum natura & modis fulcire velimus, multas utique periculosas inde ac absurdas sententias quisque pro sua opinione stabilienda deducet.

§. IX.

Quod si divinos rerum extra nos fines non sine insigni investigamus utilitate (§. 7. 8.): quantos, quaeso, fructus eorundem iusta qua nos ipsos praestabit contemplatio? certe eo maior exinde in nos redundabit usus, quo nobismet nos ipsi propiores, quam alia res quaelibet, sumus. Quare nobis ante omnia in *id* inquirendum cuius gratia nos facti sumus, iique in primis *fines* summo a nobis studio & rimandi & quantum quoque fieri potest, implendi sunt, quos in creatione ac conservatione hominis infinita sapientia & bonitas in-

tendit. Neque istud negotium ita nobis demandatum esse putemus, ut in nostra situm sit potestate, utrum curam eius rite gerere velimus, an non? Haud enim frustra nobis sanam rationem a benignissimo concessam esse Numine facile perspicimus; sed ut quidquid agendum erit, ad ipsius ductum & ob finem agamus (§. 6.). Fines autem actionum nostrarum omnes finibus divinis erunt *subordinati* (§. 6.): sin minus, huic creatori ac conservatori nostro iustissimo aeque ac optimo consequenter etiam nostrae felicitati e diametro adversantur. At ignoti nulla cupido: neque locum habet intenta subordinatio, nisi & res subordinanda, & id, cui subordinari debet, probe sint perspecta (§. 6.). Ergo divini, qui nos concernunt, fines rite investigandi sunt. Ergo & nostri quoque fines omnes probe observandi & examinandi, dignoscendi & subordinandi sunt cum divinis, tum sibi invicem: neque ex oculis dimittendi, antequam eosdem consecuti sumus (§. 6.); tali tamen servato discrimine, quale eorum subordinatio mutua ac inde fluens sive maior sive minor necessitas requirit (§. 5. 6.). Quo quidem obtento ad ipsam tandem finium investigationem descendimus, brevibus instituendam.

§. X.

Finit ut naturae rerumque naturalium omnium generalis, primarius ac absolute ultimus ita etiam humani generis est ipse DEUS O. M: nihil enim erat ab aeterno praeter DEum, & tamen nihil sit sine causa (§. 6.). Huius E. immensi creatoris, suas ubique perfectiones, omnipotentiam, sapientiam, providentiam & benignitatem in mundo manifestantis *gloria* id ipsum est, cuius gratia omnia sunt: quod cum aliunde demonstrandum erit, hic merito supponimus; illud tantum monentes, non ita accipiendum esse, ac si sibi sufficientissimus Creator, cui ex mundi creatione nihil accedit, quae non antea habebat, laudis studio & gloriae cupiditate ductus, eiusque illustri specie allectus tam gloriosum opus fuerit aggressus, ita scilicet ingloriorum homunciorum elogia demeriturus. DEus enim non creavit universum ex indigentia gloriae, nec gloria ut aliquid extra DEum considerata, eum permovit aut determinavit ad voluntatis suae decretum. Sed pro merito & liberrimo beneplacito & abundantia bonitatis immensam gloriam infinitarum suarum perfectionum patefacere voluit, atque illustri stupendae benignitatis documento inten-

intendit: ut homo cognoscendi facultate & rationis usu praeditus *vestigia perfectionum, bonitatis & felicitatis suae* in omnibus rebus creatis relicta *scitaretur*; tantique operis, quod secundum consilium sapientiae suae hoc ordine & forma instituere ipsi placuit, perfecta absolutaque elegantia ad *originem* huius elegantiae *perduceretur* & mille variam ubique occasionem haberet autorem & conservatorem providentissimum *agnoscendi, amandi eiusque* tanquam entis perfectissimi, felicissimi ac summe boni *unionem, communionem & fruitionem* beatissimam summo studio anhelandi, porro quoque summis sine fine laudibus praedicandi, quae sit ipsius sapientia, quae virtus, quae bonitas.

§. XI.

Hominis igitur, non Creatoris commodo cuncta cedunt ac emolumento: is enim ex ordine rerum creatarum & conspicuo decore, mutuoque earum commercio ac tota concordia fabrica, immo ex omnibus, quae in amplissimo huius universi theatro comparent, & cognita sunt, sanae rationis in hoc sibi a DEo concessae ope haec omnia tanquam fructus sibi ad suam, quam amat felicitatem, & perfectionem necessarios elicere potest, ac debet (§. 10.) Cuius quoque in primis usibus hanc ipsam ob causam natura ex abundanti patet, ac sanitati, & honestae, laetae ac oblectanti refectioni luculenta subsidia & adiumenta subministrat. Quin vero hominem hoc modo *felicem* reddere ac in eleganter conspicuo & ad ista omnia ordinato virium cum animae tum corporis exercitio constitutum vitae dulcedine delectare ac satiare, optimus quoque intenderit Creator, nemo, qui accuratiore mentis trutina universa perpenderit, dubitabit, ipsa in primis natura reclamante. Hic E. alter erit *finis* respectu nostri, priori tamen per omnia subordinatus: eo enim neglecto, quomodo sperari posset ulla vera felicitas? Contra haec eo crescit amplius, quo magis sincera est subordinatio, maiori in eum ferimur studio genuino (§. 9.)

§. XII.

Quibus assertis, iam haud obscure colligimus, hunc intellectus humani finem esse: ut homo omnia ea, quae ad auctoris & conservatoris sui perfectissimi, felicissimi & summe boni cognitionem, communionem & fruitionem, adeoque suam felicitatem, tam confirmandam ac conservandam quam turbendam pertinent, quorum illa bona
haec.

haec mala appellantur, quantum ex intentione divina satis est, cognoscant. Verum ad haec ipsa a se invicem dignoscenda nequaquam se iam satis instructum esse intellectus noster, vel in primo mox limine deprehendit: cum multarum, quibuscum versamur, rerum nullam, plurium haud adequatam formare possit ideam, ideas quoque nec connectere, nec a se invicem pro earum natura ac indole distinguere, ac de iisdem ferre iudicium. Ad haec vel ipsa fere innumera rerum, ac consequenter etiam idearum multitudine se tantum non obrui sentit, quarum tamen omnes eiusdem nec certitudinis esse, nec necessitatis percipiuntur, sed aliae aliis praestantiores, ac ad finem obtinendum propius collineare videntur.

§. XIII.

Informandum ergo de his omnibus esse intellectum, res ipsa loquitur, & istud sibi munus polcit Logica (§. 1. 2.), in primis artificialis, quae nucleus quasi naturalis praestantissimorum quorumvis virorum Logicae est, & instruit intellectum in cognitione veri, praecceptis ac cautionibus, quas longo rerum usu & multa experientia detectas collegit orbis eruditus: huius autem eo maior est necessitas, quo facilius naturalis nostra intelligendi facultas iustis nondum subacta legibus, variis sibi modis imponi patitur (§. 12.). Logica vero dum hunc praefixum habet finem, non potest non inquirere tam in intellectum, quam in veritatem. Intellectus quidem naturam, facultates, operationes, ac statum praesentem, nisi ex Anthropologia vel alia quadam disciplina haec iam innotuerint, probe examinabit, ut eundem ad munus suum rite obeundum instruere queat: veritatis autem diversas species, *αἰτίαι*, modumque illam eruendi, sive ex iustis principiis sive ex verosimilibus hypothesebus fieri id debeat, investigabit; isthaec enim deinceps de rebus obviis hoc modo intellecta, genuinos illarum qua nosmet conceptus ac iustam respectu felicitatis nostrae subordinationem (§. 10. 11. 12.), per consequens suum etiam cuique statuit pretium. Ac tandem ostendet Logica, qua ratione procedendum sit omnibus superatis impedimentis, in veritate quavis demonstranda, docenda & defendenda (§. 2.).

§. XIV.

In his omnibus vix ea, qua ad felicitatem suam par est, industria versabitur, cultor Philosophiae rationalis, nisi eorundem fines tam ultimum,

timum, quam intermedios menti habeat ubique propositos (§. 3. 6. 9-13.): praeterquam enim, quod eorum intuitu omnes saepe molestias facile superant homines, finis vera iucunditate perfusam oblectabit ac diriget mentem, cum docentis, ut missis superfluis, quae ad finem obtinendum necessaria sunt proponat; tum discantis, ut iustam ubivis curam ac attentionem, immo eo maiorem, quo res ipsas ad scopum sibi praefixum magis esse necessarias deprehendit, suo cum insigni emolumento adhibeat; idque non in ipsis modo praelectionibus audiendis, verum etiam quoties privata ipse opera eadem assequi studet. Et sic uterque ea, qua proxime itur via, missis ambagibus, feliciter maiori cum fructu, sed minoribus expensis ac dispendio temporis, inaestimabilis istius thesauri ad metam collineant (§. 6.). Fines ergo etiam in Logica considerare expedit, immo necessum est: sed de his iam teor-
simagemus.

§. XV.

Et quidem quod ad intellectum nostrum eiusque attinet facultates, quibus per experientiam internam gaudere ipsum intelligimus; finem *facultatis sentiendi*, sive res per sensus percipiendi, *ideas* quoque rerum sensibus istis congruas *formandi*, sine dubio hunc esse supremus naturae voluit auctor: Ut ipsius perfectionum, bonitatis & felicitatis radii ex nobismet aliisque rebus creatis, sive per ipsum naturae rerum lumen, sive per revelationem divinam, sive per aliorum experientiam ad sensus affluentes illabantur, & eiusmodi relinquunt vestigia, unde, quae ad vivam ardentemve earum cognitionem suavissimamque fruitionem, ac nostram felicitatem faciunt, vel non, investiganti innotescant menti (§. 10. 11. 12.). Cuius quidem consideratio finis, quam insignem praestat in rerum contemplatione usum, egregiasque ac prorsus necessarias huic facultati subministrat regulas, inservientes ipsis sensibus, cum rite instituendis & observandis, tum examinandis, & a se invicem, ab ideis aliisque intellectus operationibus discernendis, porro quoque formandis inde ideis claris, distinctis, & felicitatis rationem habentibus (§. 6.), unusquisque duce Logica genuina quotidie non sine insigni voluptate re ipsa experitur.

§. XVI.

Memoriam homini hunc in finem concessam esse cogitemus: ut illas ipsas, quas modo descripsimus ideas, quatenus ad finem homi-

nis supremum & veram faciunt felicitatem, studiose reconditas conseruet, iusto iterum tempore exhibendas. Quī finis rite ob oculos positus haud exiguos iterum prodit fructus. Qui enim istum probe perpenderit; ille non modo memoriam suam non onerabit, ideis istiusmodi, quae nil prorsus ad felicitatem faciunt, verum in utilibus quoque ac necessariis memorandis, cum omnia se haurire ac digerere non posse sentit, non erit avidus & copiosus nimis, ne confusio implicetur: sed iustum servabit discrimen, prout nimirum ad finem obtinendum ac impedimenta removenda ideas vel magis vel minus inservire videt (12. 13.); ipsi autem memorandi facultati suae methodo ac ordine Logico multum succurret.

§. XVII.

Ingenii finis est possibilitates praevias veritatum probabilium excogitare: vel ut clarius dicam, idearum compositione ac divisione possibili iudicio viam ad veritates, quae quidem felicitatem concernunt, sed reconditiores sunt, aperire. Cum vero ista ingenii facultas, saepe tanta non est, quanta ad probabilitates eruendas requiritur (§. 12.): finis cultori Philosophiae rationalis praestitutus cum impellit ad exercendum ingenium secundum regulas Logicas (§. 13.), ut nimirum plures concipiat probabilitates possibiles, quam ante consuevit, sub examen iudicii revocandas. Neque tamen vim ingenii vulgarem augeri adeo sollicitè curabit: ea enim cum nonnisi ideas sibi iam notas adeoque praeexunte voluntate componat, haud ita magnam praestat utilitatem; immo ne felicitati obsit, per ambages eundo, refrænanda saepius est. Sed sublimiorem illam, quae priusquam concipit, passivè se magis quam activè habet; unde nunquam magis viget, quam si actiones ingenii ac memoriae cessant: componit autem, absque praeexunte voluntate componendi, ideas ignotas, in ipso deum concipiendi actu percipiendas. Hanc ergo qui veritati intentus est, crebro exercitio augere non praetermittet, methodo quam Logica monstrat: docens, cogitationes praesentes subinde omitendas, sensus etiam externos retrahendos esse, ut parva intercedant intervalla, quibus nihil quasi cogitat; & haec ipsa intervalla sunt istius sublimioris ingenii virtutis opportunitates optimae, quibus quidquid unquam in mentem venit, venire solet. Quibus quidem

excr-

exercitiis tempus nocturnum, dum soli sumus, immo in lecto, nil audimus, nil videmus, praealiis inservit.

§. XVIII.

Iudicandi facultatem homini optimus indidit Creator, ut verum a falso discernat, per veram idearum compositionem ac divisionem. Istud ergo & memoriam diriget, & ingenium: & illa quidem ideas (§. 16.), hoc autem inventiones possibiles iudicio suppeditabunt (§. 17.). En admirabilem & sapientissimum sapientissimi Creatoris ordinem agnoscendum ac reverendum *ab eo, qui sensum veri & falsi sibi comparare studet*: sicut enim memoria ingenio, memoria & ingenium iudicio inserviunt; sic iudicium voluntati, voluntas suo Creatori (§. 9. 14.). Quodsi haec principalis facultas, quae anima sapientiae & recte quidem Scaligero audit, tam memoriae, quam ingenii erit directrix; habebit utique & quantitatis & qualitatis rectitudinem: hoc est, non tantum satis esse debet vegetum, ita ut in intellectu rite constituto semper praevaleat reliquis tanquam facultatibus administris, verum etiam regulis verae Logicae bene instructum (§. 13.). Nisi enim memoriae praevaluerit: ingens illud, multisque per quam familiare vitium in intellectu oritur confusio; dum memoria nimis activa plures suppeditat ideas, quam iudicium ordinare valet. Si vero ab ingenii vigore superetur iudicium, cuius tamen inventiones ad regulas probabilitatis, iustitiae & prudentiae examinabit: non nubem tantum pro Iunone, id est falsum ac possibile pro vero saepius amplectetur intellectus; verum ob varios nimis foecundi ingenii lusus ac inventiones examen iudicii effugientes, adeoque nec cohibitas, nec ordinatas, notam stultitiae vix evitabit. Et tandem nisi regulis verae Logicae ad rite cogitandum formatum fuerit iudicium, naturale illius Lumen, quo & bene cogitare potest & male, facile in eligenda veritate fallet (§. 13.), nostramque seducet voluntatem.

§. XIX.

Quare qui Logicae operam dat, id sibi inprimis incumbere putet, ut natura iudicii recte comprehensa culturae eiusdem omne impendat studium, quo maturescat, & acumen sensus interni indies consequatur maius ac excellentius: sola enim haec inter tres facultates intellectus nunquam potest esse nimis vivida (§. 18.). Unde etiam

hunc scopum tanto intensius in omni studio Logico sibi habebit praefixum, quanto ipsi ad veritatem magis est necessarius. Hinc nullam quoque facile omittet occasionem instruendi ac exercendi secundum regulas Logicas iudicii sui, in ideis, quas vocabula & res excitare solent, partim definiendis ac dividendis, ne scilicet vel plus vel minus concipiat, quam vocabula aut res insinuant; partim affirmandis vel negandis. Sic enim & errorem & ignorantiam vitabit; neque memoria ipsius confusionem pariet, neque ingenium infatuabit incautum: sed potius tres illae virtutes intellectus cardinales, uti celeb. Ridigero audiunt, nimirum discrimen, venustas & sensus veri magis ac magis ipsi erunt indies familiares.

§. XX.

Et sic quidem cultor Philosophiae Rationalis, cui veritas suaque in pretio est felicitas, feliciter in praeparando ac emendando intellectu suo desudabit: eo ampliores in hoc studio, immo in ipsa sapientia facturus progressus, quo intentius hos intellectus humani eiusque virium fines contemplatur ac anhelat (§. 6.). Taceo alium, quem idem simul intendere & potest & debet finem; nimirum, dum culturae ingenii sui intentus est, eiusque sibi ad veritates cognoscendas sapientissime concessis quotidie utitur facultatibus: ut in ipsius natura & perfectionibus admirandas infiniti intellectus perfectiones praeclaris quidem, sed admodum tamen exiguis adumbratas radiis agnoscat & veneretur (§. 10.). Licet enim haec consideranti sacra occurrat abyssus sacro potius horrore suspicienda quam petulanti curiositate exploranda: tamen cum sanus ac pius Philosophus Summum non alio instituto contempletur Numen, quam ut admirandi amandique eius rationes indies maiores inveniat; utique adeo insignem tales mentis ad auctorem suum ubique recurrentis operationes navant operam ad finem Philosophiae omnisque sapientiae ultimum magnae cum voluptate consequendum, ut nil supra.

§. XXI.

Erit autem intellectus ipsius in *veritate cognoscenda* occupatus: hunc enim in finem ad praecepta Logica formandus erat, ut citra offensionem & errandi periculum circa inquirendam veritatem versari posset (§. 13. 18. 19.). Idcirco & earum consideratio rerum, quarum

rum

rum intuitu tantum tamque arduum in se suscepit negotium, haud parum ipsi erit proficua (§. 6.). *Logicam* hic intelligimus *veritatem*, quae nobis nil aliud est, quam convenientia cogitationum nostrarum cum rebus cognoscendis, quatenus istae mediante sensatione nobis innotuerunt (§. 15.). Eam vero non materialiter sed formaliter in Logica spectari, ipsa huius disciplinae ostendit natura ac indoles: neque tamen Pansophia quaedam est Logica; sed dirigit modo intellectum nostrum (§. 2, 13, 18.) adhibitis cautionibus & regulis generalibus, quae ad veritatem ubique feliciter cognoscendam in genere faciunt. *Cognitionis* nomine hic innuitur, quicquid in veritate inveniendae, diiudicandae, demonstrandae, defendendae & docendae secundum regulas Logicas efficere potest intellectus (§. 13.). Ubi iterum in *ro*, cuius gratia ista omnia instituantur, inquirendum erit (§. 3. 9. 14.): quod quidem mihi non est aliud, quam ipsa veritatis ad gloriam Creatoris & Conservatoris optimi aeternaeque in eo veritatis agnitionem indies maiorem nostramque felicitatem comparata fruitio, cum nobismet ipsis, tum aliis procuranda. Qui finis generalis in ista sua subordinatione genuina consideratus alios fines intermedios ad semet obtinendum necessarios supplet, mentemve in eorum cum electione tum applicatione dirigit (§. 6.). Illis autem explicandis nos hac vice non immorabimur, utpote quibus pro ratione instituti haec in praesenti paucis tetigisse sufficit, reiecta uberiori doctrinae iucundissimae deductione ad ipsam translationem Logicam: ubi & insignes, qui ex his quoque finibus probe perspectis redundant usus, re ipsa & quidem magna cum delectatione experiri licet. Praeterquam enim quod eorum observatio ad ignorantiae, praedudiciorum aliosque huius generis scopulos feliciter vitandos haud parum facit: ipsam quoque veritatis inventionem ac ab aliis inventae diiudicationem, quocunque illa fieri debet modo, haud difficilem, quin potius iucundam nobisque perutilem reddit; nec minus quae in lectione librorum attendenda, & qua ratione veritates, non omnes, sed necessariae inde sint eruendae (§. 16.), eruta vero ad finem dirigendae, subministrat. Inprimis sinceritas in docendo, sive scripto id fiat, sive ore, aequae ac industria in discendo egregia inde petunt adminicula (§. 14.): quae in veritatis quoque defensores haud minora redundant. Cum enim finis his praestitutus sit, non ut seipsum ostentent, nec ut alios carpant, famaeque eorum detrahant (§. 6.); sed ut, monstratis erroribus errorumque causis praedudiciis detectis, veritatis

veritatis

ritatis instituunt vindicias, dubiosque animi & contradicentes convincant; omnes vero ad veritatis fruitionem invitent: utique & hic finis dat mediis mensuram & ordinem (§. 6.); proinde scommata & invectivas non admittit orationes, utpote quæ errantium, immo proprios, quos tamen coerceri oportet, affectus irritant & obfirmant potius, quam emendant, æternæ autem veritati minime probantur; sed affectum commiserationis excitat, eosque ceu personas miserabiles tractandos esse docet, egregio non minus eorum, qui pro veritate militant, quam contranitentium emolumento. Taceo alios, qui ex iucundissima finium observatione uberrime redundant, fructus svavissimos; neque enim eosdem enarrare posse sufficit, sed experiri; experiamur ergo, quotquot Philosophiæ Rationalis, immo genuinæ studiosi sumus sapientiæ. Regia illa est, quæ monstratur, via, unde eo magis admirandum, eam a paucissimis teri (§. 3.): mirum est, inquam, cum studium sapientiæ inde ab origine obtinuit, non extitisse plures finium in omnibus disciplinis investigatores & observatores. Hinc derivandæ sunt illæ ambages, quæ sapientiæ cultores in hunc usque diem ingenti cum damno fere ubivis remorantur. Hinc & illæ genus suum numerant excursiones, quæ in campos viæ huic regiæ subiacentes ac viatores falsa amœnitatis specie decipientes maxima sapiusque irreparabili fiunt iactura: horum enim pauci post multa rerum discrimina tandem in viam reversi sero nimis sapiunt; plures ita effascinantur, ut genuinos dari fines scientiarum eosque studiose sectandos hos penitus oblitos esse crederemus. Utinam ergo qui salutari hac in omnibus disciplinis iam incedunt via, itineris sui talia ubivis relinquerent vestigia, quæ aliorum iam & in posterum inservire usibus eosque inde a primo fine intermedio per sapientissimum omnium reliquorum sese mutuo excipientium nexum usque ad ultimum deducere possent: plures sine dubio eandem haud infausto calcarent omine, nec ullis se facile detineri paterentur obstaculis. Interim regiæ huic, licet minus trita, tamen insistendum viæ, & hac ipsa eundum est omnibus, quibus sanam DEUS O. M. concessit *rationem* (§. 9.); quanto magis cultoribus Philosophiæ, inprimis *rationalis*: nec cessandum ac in finibus intermediis modo acquiescendum (§. 6.), sed per istos omnes properandum, donec ad illam, quæ omnium disciplinarum apex est, perveniamus metam, (§. 10.); qui ultimus dum obtinetur, opus tandem gloriose coronat

FINIS.

131. B. 12

1018

